

5. Hæc omnia vero non tam de ordine *actûs* gratiæ respectu DEi, quam hominum, dicta sunt.

II. Actus.

1. Hic observandum, quod sanctificatio h. l. vel sumatur *in totâ suâ latitudine* vel *strictius*. Priori modo etiam gratiam justificationis includit, quatenus reddimur sancti etiam per imputationem meriti Christi, unde alia *sanctitas* est *imputata*, alia *inchoata*. De hæc h. l. unicè agitur; Prior ad justificationem pertinet & exponitur, Ephes. V, 26. Ebr. X, 10.
2. *Actum* nomino, ut indicem, sanctificationem non in-nudâ aliquâ *potentialitate* consistere, ut volunt adversarii, DEum nempe id tantum conferre, ut homo possit bona opera facere. Sed malè.
3. Ut indicetur eam considerari vel *activè*, ut est à DEô, vel *passivè*, uti terminatur in homine. Hôc locô priori modô à nobis consideratur. Posteriori modô ita sanctificamur in hæc vitâ, ut nunquam consummata fiat sanctificatio nostra, sed semper maneat imperfecta & inchoata.
4. Habet se res cum sanctificatione eâdem, sicut cum creatione primis diebus. Ibi creatio *passivè* considerata creaturis tribuebatur & imperfectio non DEo, sed creaturis tribuenda erat. Sic etiam se res hôc locô habet.

III. Gratosus.

1. Ut eâ ratione excludatur omne meritum; nam in se spectatam sanctificationem mereri non possumus. Et quamvis *inter justificationem & sanctificationem* sit *diversitas* in *modô dispensandi*, non tamen est in *titulô Gratia*.
2. Quando consideratur dispensatio Gratia justificationis ea dispensatur etiam impio, nam DEus impium justificat, non verò sanctificat.
3. Per justificationem homo à morte spirituali liberatur, & vitam spiritualem vivere incipit, in sanctificatione accipit novas vires vivendi spiritualiter.

IV. DEI.

Si ad causam efficientem principalem respicio, est actus totius SS. Trinitatis; Si verò ad peculiarem appropriationem, est actus solius Spiritûs S.

V. Ho-